DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU PURGANTIUM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE USU PURGANTIUM;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ABRAMUS E. ORPEN, A. B. T. C. D.

HIBERNUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

JACOBO HOME, M. D.

PROFESSORI MAT. MEDICÆ IN ACADEMIA EDINBURG.

ET

EDVARDO ORPEN,

ARMIGERO,

PATRI SUO OPTIMO,

HOC TENTAMEN,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU PURGANTIUM.

Ciborum reliquiæ ex quibus chylus jam resorptus, et ex quibus haud liceat ultra sperare nutritionem, interventu motus peristaltici usque ad intestina magna primo detruduntur et brevi per anum ex corpore ejiciuntur. Sed hi motus ad vitam tam necessarii, sine grâvi caûsa conturbari sunt proclives; et hinc multa pervenirent mala ni natura nobis remedia ad eos integrandos larga manu impertîsset.

Ex his quædam purgantia sunt nominata, et propter utilitatem et vires in corpore humano præ cæteris in matêria mêdica semper enituere.

In hoc tentamine perpauca de his disserere conamur, et hos attingere morbos, in quibus maxime purgantia prosunt. Sed leviter tantum et in transitu : nullo enim ferè existente morbo in quo non ad rem sit intestina recludere, satis patet purgantium historiam omnibus absolutam numeris limites dissertationis Inaug. longe transire.

Irritabilitas et debilitas magna præcipue intestinorum ab usu purgantium abhorrere dicuntur, verum hoc intelligi intra certos limites tantum debet, et eorum liberrimam, idoneo tempore exhibitionem non oportet interdicere —sed effusius de hoc, cum de chorea aliisque morbis tractare veniam. Delectum purgantium quod attinet, satis constat a natura morbi mutationisque optatæ omnino pendere. Idoneum adhibendi tempus omnes fatentur sub obscurum esse mane. Hoc modo quantum fieri potest,

cum consuetudine diurna quadramus, et cavemus ne ægri quies per noctem convellatur.

His de purgantibus præfatis, nunc licebit pauca de quibusdam tradere morbis, in quibus purgantia fere sola et unica sunt remedia, a Chorea Sancti Viti incipiam.

CAP. I.

Hicce morbus impetum ante pubertatis ætatem plerumque facit et ad varias causas excitantes, temperamentum irritabile et debilitatum nescio quomodo afficientes, refertur. Sed mea sententia ex irritatione sordium vermiumque sæpissime oritur. Nam hos præcipue aggreditur qui ob inertiam aut occupationes sedentarias, alvo adstricta intestinorumque morbis laborant: et præterea curationis ope postea

memorandæ, Nosocomio nostro multis in exemplis felicissime tractabatur, quod nunquam evenire potuit, ni omnibus fere in casibus morbus intestinis innixus sit.

Medendi rationes a medicis hactenus propositæ, prout eorum causarum excitantium sententiæ, necessario variebant. SYDENHAM suadet sanguinem semel iterumque educendum, alvo interim sæpe purgata, et ægro haustu anodyno restaurato. Et quamvis satis constat hoc modo morbum curâsse, tamen perpauci præclari hujusce medici vestigia presserunt. Ineptissimum esse putaverunt, catharticis aliisque debilitantibus, obviam ire morbo in eorum sententiis ab imbecilli temperamento originem ducenti, et melius esse, consilio maxime contrario, roborantibus scilicet et antispasmodicis, omnibus in casibus curationem confidere. Verum ab hoc aversor, non solum quod causas morbi veras omnino prætermittit, sed etiam pro explorato accepit purgantia chorea affectos multum debilitare, quod procul esse a veritate mihi videtur. Nam alchohol ut aliique stimuli, ali-

quando ægrum minus callidum, pulsumque tardiorem reddunt, ita in hoc plurimisque convulsivis morbis, purgantia corpus afficiunt humanum contra quam a priori expectandum est, et plus boni expulsione rerum morbum excitantium, viresque ægri convellentium faciunt, quam mali, iterato eorum usu. Hoc in nonnullis chorea laborantibus et felicissime tractatis sub Profess. nostro HOME, bene illustratum observavi: viribus eorum quamvis assiduo fere sub usu purgantium, non solum non fractis verum potius maxime auctis.

Loco igitur consilii spes medicorum iterum iterumque fallentis, aliud referam a medico spectatissimo D. HAMILTON in nosocomio nostro, primo excogitatum vel saltem latius usurpatum, et quod sciam, ab illo nunquam incassùm tentatum. In hoc innititur, quod chorea, a sordibus stagnantibus et acribus semper originem ducit, et inde sola est indicatio, has quam primum educere.

Ad hoc consequendum purgantia statim sunt præcipienda, diæta levi et nutriente et pauxillo etiam vini, si opus sit, simul permissis. Delectum purgantium quod attinet vix ullus est. Submurias autem Hydrargyri vel per se, vel resinosis purgantibus conjunctus, vel salibus alternatus neutralibus, frequentissime usurpatur et certe haud sine jure anteferri videatur; nam ut ab Underwood aliisque certiores facti sumus, submurias hydrargyri maxime accommodatus est ad infantium intestina abluenda, et haud infrequenter succedere observatur, etiam cum purgantia fortiora frustra tentata sint. Purgantibus exhibitis, magna vis fæculentæ, subviridæ et fetidæ materiæ nunquam non dejicitur, et hæc sellarum conditio, præter quod causam morbi excitantem satis manifeste designat, dirigere etiam medicum in usu purgantium possit: in iis enim perstare liceat usque dum dejectiones ad speciem naturalem reverterint: post quod, ægro semper melius se habente, alternis diebus, vel pro re nata, alvum movere sufficiat.

Hoc tonicorum justum tempus si unquam, sed illa haud plurimum valere videntur, natura, post causam morbi sublatam, ad curationem sat superque valente. Nihil utcunque obstat quin cinchonam vel per se, vel valeriana conjunctam aut ferri preparationes præscribamus: quamvis mea sententia animi corporisque exercitatio, et diæta nutriens cum vini pauxillo, optima sunt tonica, et semper ad ægrum restaurandum sufficient.

CAP. II.

DE VERMIBUS.

Fides si auctoribus sit habenda, nulla corporis pars in qua vermes non interdum reperiuntur. Verum hic tantum de illis agendum est, qui sedem in ventriculo et intestinis ponunt.

Cum vel chyli consumptione ad nutritionem necessarii, vel intestinorum irritatione, multa

incommoda et etiam morbos graves et periculosos vermes inducant, summi fit momenti eos quam primum ex corpore deturbare. Ad hoc efficiendum multa a medicis remedia laudata sunt: perpensis autem mutationibus quibus in transitu subjiciuntur et quam multis laudibus suis temporibus cumulabantur inertissima etiam, et nunc merito neglecta mea sententia jure dubitare liceat, num effectus salutares anthelmenticis ascripti, haud melius ad purgantia, eodem tempore præscripta referantur: Quæ vi mechanica et chemica simul gaudentia, aut vermes necatos eliminent, aut iterata intestinorum contractione foras detrudant, aut domicilia illis reddant tam ingrata ut ultro facessant.

Ex hoc lege limaturas stanni tantum excipio, quæ in tanto sunt usu generali ut illis vires aliquas anthelminthicas recusare non auderem. Sed ut hoc medicamentum aliquid prosit, in dosibus præscribendum usitatis multo majoribus.

Ex antea dictis, modus verminosos tractandi facile patebit. Ni fallor omnibus fere in casi-

bus præcipue purgantibus committendus est. Et ex his submur. hydrarg. accommodatissimus videtur, vel solus, vel pro ægri viribus et ætate cum jalappa vel gambogia conjunctus. Alvum plene deducere tertia quaque die oportet, et pro ætate a grano uno usque ad tria submur. hydrarg. omne nocte adhibere. Et si eodem tempore remedia usitata ad vires restaurandas sint usurpata, ad integram valetudinem brevi æger revocatus erit.

CAP. III.

DE HYDROPE.

Prout varias corporis partes affectas in varias species dividitur Hydrops, sed omnibus multa inter se communia habentibus et terminis nostris singulas speciatim haud concedentibus tractare, quæ postea dicta generaliter et de universis intelligentur.

In hoc morbo conatus præcipue dirigendi ad aquam quam primum educendam utrum effusam in cavitates vel texturam corporis cellulosam. Ad hoc agendum, prout res postulare videantur, aut cathartica aut vomitoria aut diuretica aut sudorifica adhibere liceat, et cuique horum sua sunt commoda et incommoda.

His casibus tantum accommodata sunt purgantia in quibus morbus subito impetum facit, et cum magna debilitate vel intestinorum irritabilitate haud sit conjunctus. Sed usui eorum cum occasio sit opportuna, et præcipue cum ex viscerum tumoribus oritur morbus, multo citius aliis supra memoratis curationem præstare invenientur.

Confitendum est nihilominus quod purgantium fides multum imminuta; verum hoc usui eorum indiscreto magis quam vitio tribuendum. Nullum remedium quin prave applicatum aliquid mali afferat, et in morbo progressu fere semper serpente et languido, cum maxima comitato debilitate, et lesionum internorum fre-

quenter symptomatico certe haud mirum purgantia non semper successisse.

Delectum purgantium in hoc morbo quod attinet, leniora ut supertartris potassæ, sulphas magnesiæ et similia, a medicis nuperrime laudata sint. Sed nescio an exemplum sequi antiquiorum haud melius esset et fortiora usurpare. Nam vasa absortentia acriter stimulando, non solum ad excretiones serosas expromendas, sed ad tumores viscerum, ex quibus tam sæpe oritur morbus, discutiendos, majore vi pollent. Exceptio huic ut cunque facienda cum vel gangrænam vel intestinorum inflammationem causam haberemus timere.

Submurias hydrargyri cum jalappa vel gambogia, vel postrema sibi invicim immixta, vel alterutrum cum supertartritide potassæ conjunctum, medicis autiferri et jure videntur. Hæc partitis vicibus usque ad plenam dejectionem dari, et prout vires ferant vel usus postulet, vel sellæ plus minusve sint naturales, aut singulis

aut alternis diebus, aut quarta tantum quacunque die iterari debent: Viribus eorum deplentibus ope liquoris *gin-punch,* vel cujusvis alii diuretici simul adjutis.

Curandum est tamen in purgantium usu haud ultra modum perstare; nam si morbus ab illis brevi haud fugatus vel saltem sublevatus sit, ob debilitatem quæ sequitur magis erit confirmatus, et præterea diarrhæam cathartica inducant, quæ morbo provecto omnes maxime timenda fatentur.

Hac una cautione attente observata, et viribus ægri omnibus modis consuetis sustentatis, purgantia non solum tuta verum maxime efficacia inventa fuerunt. Cullenus præ cæteris laudavit illa, et dum nosocomio huic interfui, multis in casibus insignes eorum virtutes ipse testatus sum. Unum particulariter in memoria teneo. Miles ebriosus quidam cum signis jecoris morbidi, et magna vi aquæ intra paucas dies cumulatæ, in clinicam ordinariam admittebatur; ædema ejus fuit generale, fluctuatio

distincta in abdomine sentiri possit, et nonnulla hydrothoracis symptomata adfuere. Viribus parum imminutis, et ætate ejus florente, purgantia ab Doctore HOME illico porrigantur et felicissimo cum exitu. Dosem post secundum tam pleno amni defluxit aqua ut paucos intra dies æger desiccaretur. Ad curationem confirmandam in nosocomio paulum moratus, et postea sanus et sobrius demittebatur.

CAP. IV.

DE DYSENTERIA.

MOSELY et multi alii ob consensum inter intestina et superficiem, morbum ex frigore vel contagio provenire putant; at judice GREGORIO nostro in aliquibus exemplis ad acrimoniam intestinorum referri potest. Hæc quomodo dysenteriam gignit hic non disputandum est, nec ullum habet momentum, nam quacunque

ex causa originem ducit, vel impetum utcunque facit, medendi modus semper idem, et purgantibus præcipue confidendus.

Ex purgantibus ol. ricini et sales neutrales primas tenent sedes. His primo alvus plene deducenda, et postea anodynum hora somni ad irritationem levandam dare, et in hac diuturna, purgantium scilicet et opii, alternatione usque ad curationem perstare usitatum est; sed multum dubito an curatio haud esset celerior, si evacuantibus multo magis et anodynis minus confidamus, et si opium per se unquam adhibere liceat, nisi torminibus et irritatione maxime urgentibus.

Ex analogia, et medendi dysenteriam ratione in regionibus tropicis tam fauste adhibita, ut puto, concludere oportet optimos effectus in morbo graviore sperandos esse ex submuriate hydrarg; ad gr. iv. vel v. om. nocte præscripto. Cum opio vel ipecac. illum conjungere liceat, et postridie mane haustum porrigere ex infuso sennæ vel olio ricini. Hoc modo non solum

scyballa et sordes certissime expellentur, sed omnia experientur commoda quæ largum mercurii usum sequi in hoc morbo dicuntur.

Purgantium operatio enematum emollientium usu multum adjuvatur, et his remediis pro re nata uti oportet donec morbus curatur, cujus possumus tantum certiores esse cum ex ægro decedunt tormina et tenesmus, et dejectiones hactenus mucosæ et scybalatæ et sanguine commixtæ, speciem fæculentem et naturalem induunt. Eodem tempore omnibus usitatis auxiliis curatio est promovenda. Ægro convalescenti ad sanitatem cinchona acidumque sulphuricum conducent.

CAP. V.

DE HÆMATEMESE.

Hic de Hæmatemese ex causis temporalibus provenienti ut ex alvi tarditate, amenorrhæa, vel alia levi quacunque causa tantum agere locus est, et in hoc solo purgantia pro remediis primariis laudare possum.

Nam utilia sunt non solum ad eliminendum foras sanguinem effusum in ventriculum et intestina et ibi putrescentem, sed ad vasorum plenitudinem, si opus sit, minuendam, et derivatione a superioribus corporis partibus, ad sanam sanguinis distributionem restaurendam.

Iterationem purgantium quod attinet a natura sellarum et ægri viribus, omnino pendere oportet. His haud multum fractis alvus so-

luta ope laxantis alicujus mitioris, vel si aciditas adsit, carbonatis magnesiæ tenenda est: et hæc prout res postulaverint, repetendæ quousque dejectiones sint nigræ et sanguinolentæ.

Interdum autem causæ morbi inveteratæ sunt, et tunc necesse viribus ægri quam maxime parcere. Eodem ergo tempore, quod alvus emulsionum et laxantium ope omni liberatur irritatione, hæc licet remedia dare quæ vasa ventriculi topice afficiunt. Hujusmodi sunt decoctum thææ, infusio rosarum acido sulphurico acidulata, serum aluminosum, &c. &c.

In usu tonicorum aliqua cautione opus est, nam morbo quam minime inflammatorio existente, regimine antiphlogistico uti deceat; contra, cum debilitate comitato, vel diu perstante, vinum et alia tonica larga manu suppeditanda sunt.

CAP. VI.

DE OBSTIPATIONE.

Sordes longe retentæ et nunc corruptæ et acridæ factæ, functiones ventriculi intestinorumque turbantes, in aliquibus symptomata gignunt naturæ tam peculiaris, et sibi tam constantis, ut morbum constituere idiopathicum dicantur. Hunc nomine obstipationis excerpam, et sequentibus signis plerumque dignoscitur. Primo totius corporis molestia fit et virium depressio, et in variis partibus male se habet æger. His accedunt gravitatis vel etiam doloris sensus in regione epigastrica, qui ad hypogastrium vel lumbos interdum transit, vomitus statim ab omni ingesto, nausea, appetitus prostratus, capitis dolor, vertigo vel etiam sopor, eructationes acidæ et intumescentia vel

inelastica vel tensa in aliqua abdominis parte. Somnus fere semper perturbatus, sitis urget, corpus marcescit, pulsus aliquando frequens et debilis, raro intermittens; sæpius haud celerior solito fit. Alvus pertinaciter astricta vel si ullæ sellæ, parcæ subvirides vel lutosæ vel etiam nigræ sunt. Perraris autem exemplis, mucosæ sellæ haud parca quantitate dejiciuntur *; hujus exemplum notabile in hoc nosocomio contigit, in quo mulier sub diarrhœa laborare putata astringentibus et roborantibus diu tractabatur: Scybalis verum lutosis in dejectionibus tandem observatis, et natura morbi vera detecta, purgantia adhibita sunt, et cito morbum edomuere.

Hæc obstipationis præcipua signa, sed in memoria tenendum sit omnia supra memorata rarissime simul observari. Satis multa nihilominus erunt, unde medicus sagax veram morbi naturam perspiceret: presertim si ad

* Vid. FOTHERGILL.

dejectiones mentem adverterit, quæ a specie naturali semper decedere invenientur.

Curationem quod spectat pauca tantum dicere necesse est. Alvus quam primum purgantibus antea memoratis deducenda est, et hæc repetenda donec morbus loco cesserit, et dejectiones naturales evaserint; et si purgantium actio haud sit plena enematis usitatis vel his ex aqua tepida adjuvare liceat, vino simul permisso, et assafœtida præcipue forma enematis large præscripta ad affectiones tympaniticas si ullæ adsint levandas.

CAP. VII.

DE HYSTERIA.

Hysteriam inter et intestinorum acrimoniam ex fæcibus vel diu retentis, vel materia aliqua acri commixtis, vel alioquin male se ha-

bentibus, aliquem intercedere nexum hinc constat, quod plurimis in exemplis, purgantibus, nullis aliis adhibitis remediis, cedere observata est. Quandocunque ergo aut alvi tarditate, aut dejectionibus aut parcis aut nigris et fœtidis comitatur, ad purgantia statim fugere oportet, et in eorum usu perstare donec omnes excretiones quoad speciem et quantitatem sint maxime naturales.

Satis probabile purgantia ad curationem conducere non solum deducendo alvum, sed motum sanguinis per omnia viscera promovendo; et subjungere vix opus est, quod antispasmodica et alia usitata remedia cum his simul usurpanda. Si locus nobis et tempus sint, alios possim morbos memorare in quibus purgantia ad restaurandos ægros magna vi pollent. His autem haud permittentibus, tantum restat ut de hoc remedio in typho pauca tradam.

CAP. VIII.

DE TYPHO.

PERPENSIS magnis purgantium commodis in febre tropica curanda, et quam limitibus arctis a nostra distinguitur, mirum jure videatur purgationem saltem modicam haud in posteriore multo frequentius usurpatam esse. Medici ab ejus usu videntur deterreri, existimantes, ægros hisce regionibus sub febre laborantes nullas posse exinanitiones tolerare. Sed illos in hac re vehementer errare, non solum ex observatione mea, verum ex testimoniis Doctorum SIMS et FERRIER aliorumque celeberrimorum medicorum, persuasissimum habeo. In historia febris, (anno 69) ab priori prodita, refertur: "That although harsh, strong "purgatives were injurious, yet, a long conti- "nuation of gentle laxatives seemed to be the "true method of treatment:" Et postea, (p.

158.) "Certain I am, every medicine became "beneficial or hurtful, in proportion as it check-"ed or promoted that (*i. e.* intestinal) dis-"charge:"—Et, "It was however remarkable, "that when those mentioned above, (*i. e.* gentle "laxatives) procured a large evacuation, the pa-"tient, so far from being weakened, found him-"self lighter, easier, and his pulse rose consi-"derably."

Ferrier etiam, in descriptione febris, (anno 89) civites grassantis Manchester, qua urbe exinanitionibus nullus est locus minus benignus, ad hunc modum loquitur: "In the "early stages antimonial emetics and gentle "laxatives did eminent service. The fever of-"ten disappeared as soon as the bowels were "cleared. In general the patients bore purg-"ing well, and even required it repeatedly; the "pulse commonly became firmer and more re-"gular after evacuations of this kind *."

---

* *Vide* Ferrier Med. Hist.

Multa medici dixerunt de variis periculis quæ ægro imminent ab usu purgantium, verum si hæc unquam acciderunt, certo rarissime. Nam in multorum exemplorum perlectione, in quibus purgantia libere sed eodem tempore sagaciter usurpata, haud mihi contigit observare unum vel minimum malum quod ad illa jure referri possit, et quod ad me persuasissimum habeo, nullum esse morbum, nec ullum cujusmodi morbi stadium in quibus, rebus postulantibus, purgantia non solum tuto sed maxima utilitate haud usurpari possunt.

Res purgantia in febribus indicantes, eædem sunt ac in aliis antea dictis morbis, et maxime solent ægris prodesse a ventriculo laborantibus, vel quorum intestina torpentia et gravata, et putridis, sive acidis alimentis, læsa fuerint. In his purgantia statim sunt præcipienda, donec ventriculus et intestina plene vacua sunt facta ; et, prout vires ferant, repetenda quamdiu sellæ, vel parcæ, vel virides, vel alioquin naturæ contrariæ sint.

At expulsione sordium non solum prosunt purgantia in febribus : Nulla alia remedia, contra vel has sanguinis determinationes morbidas, vel hanc ventriculi irritabilitatem quæ in hoc morbo tam frequenter observata, majore vi pollent. Præterea ab diarrhœa colliquitiva, versus finem morbi, supervenienti maxime cavent, et meatus corporis recludendo sudoremque levem promovendo, ægrum exhibitioni remediorum præstantissimorum, vini scilicet et opii, parant ; quæ durante magno corporis calore, et cutis * ariditate, cum utilitate præscribi non possunt.

Nec a deducenda plene alvo, cum res postulaverint, deterreri debemus, etsi pulsus inæqualis et subsultus etiam tendinum adsint ; nam inter omnes constat, hos intestinorum statui sæpe inniti, et ego ipse hæc symptomata a purgantibus quam citissime fugata vidi. Sed

* *Vide* Currie's Med. Reports.

quamvis nihil obstat quo minus, postulante ægrotantis conditione, purgantia per totum morbum præscribantur, nihilominus confitendum, ea præcipue primis diebus prodesse. Tunc nauseam et vomitum, dolorem capitis, et anxietatem circa præcordiam, mirifice levant, sudores lenes eliciunt, somnum conciliant, et etiam in multis casibus morbum pessimi generis solvunt. Sub initio morbi validiora sunt præscribenda, at morbo provecto mitiora, et sub eorum largo usu, versus morbi finem, vinum augendum, ni caput versus morbida sit determinatio.

FINIS.